



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

Relatio Abbatis Nicolau de seipso, & Socijs. Capvt. XVI.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

iret Betamarim, obuios habuit Hebræos. Qui eum occidere vellent, distinctis gladijs cucurrerunt contra senem. Cumque appropinquassent, vibrarentque in eum gladios, manus eorum in sublimi suspensæ perfristerunt immobiles. Facta vero oratione, soluit eos senex, & dimisit. Et abierunt gratias agenres Deo.

Ecce quomodo Sancti orâtes, in virtute Dei miracula faciunt.

Relatio Abbatis Nicolai de seipso, & Socij.

C A P V T. XVI.

Senex quidam sedebat in monasterio Abbatis Petri iuxta sanctum Iordanem, Nicolaus nomine, qui nobis narravit, dicens: Cum essem aliquando in Rhaythu, missi sumus tres fratres in ministerium in Thebaidem. Cum ergo per desertum iter facerem, errauimus de via, ferebamurque per eremi latam vastitatem. Deficiente vero nobis aqua per aliquot dies, siti arescere cepimus. Cumque iam & siti & æstu deficientes, progredi ulterius non valeremus, inuentis per desertum myricis, iactauimus nos siguli sub umbra arborum, expectantes mori præ siti. Prostratus vero in umbram ego factus sum in extasi, vidiq; piscinam aqua plenam, & circumfluentem, duos autem supra piscinæ labium assistere, vasque vnum ligneum. Tunc coepi vnum ex illis rogare, dicens: Fac mecum charitatem domine, & da mihi pusillum aquæ, quoniam deficio. Ille verò nolebat. Tunc dicit ad eum alter: Da illi modicum. Qui respondit ei, dicens: Non demus ei, valde enim desidiosus est, & neligens sui. At alter: Vtiq; sanè neligens est, ac desidiosus, propter hospitalitatē tamen demus ei. Atq; ita præbuerūt mihi, & his, qui mecum

erant. Mox autem vt bibim⁹, confortati sumus, & iter agentes tribus diebus alijs sine potu, peruenimus ad loca habitabilia.

Vita Machni senis.

CAPVT. XVII.

DICEBANT de quodam magno sene, qui in eodem monasterio Abbatis Petri morabatur, quod quinquaginta annos egisset in spelunca sua, neque vinum bibens, nec panem comedens, nisi tantum fufureum. Tertio autem singulis hebdomadibus communicabat.

Vino non utebatur, & panem fufureum comedebat.

Vita alterius senis Monasterij Laura, qui cum Leonibus dormiebat.

CAPVT. XVIII.

NARRAVIT nobis Abbas Polichronius presbyter de alio sene, qui sedebat in eadem Laura Abbatis Petri, quod plerunque abiens, in ripa Iordanis commanebat, & vbi cubile leonis inuenisset, illic dormiebat. Die vero quadam tulit ducem leonis, catulos intra pallium suum in Ecclesiam, & dicebat fratribus: Si mandata Domini nostri Iesu Christi custodiremus, ista animalia profecto nos timerent, sed propter peccatum serui effecti, nos illos timere comprobamur. Quare magnifice edificati fratres, ad mansiones suas recesserunt.

Vide Sanctos etiam immanissimis bestijs in virtute Dei imperare.

Relatio Abbatis Elie De seipso.

X 2

CAP.